

685.

1406.

Heidelberg's slott.

Konung Rupert III och hans son, pfaltzgreffen, hertig Johan befullmäktiga riddaren Hadmar af Laber m. fl. att underhandla om giftermål mellan hertigen och konung Eriks syster Katarina ¹⁾.

Martene & Durand: Veterum Scriptorum etc. collectio, IV, sid. 134.

Nos Rupertus et nos Johannes, Dei gratia comes palatinus Rheni et dux Bavariae, celsissimi nostri dilecti domini et patris, Romanorum regis filius, agnoscimus ac notum apertumque facimus praesentes litteras inspecturis, nos nobili Hadmaro, domino in Laber, Johanni Truchsesio de Baldersheim, equitibus, et Conrado Castener, nostro scribae, provinciae Ambergensis, nostris consiliariis ac dilectis fidelibus, plenariam et integram potestatem concessisse negotiandi, tractandi et concludendi circa desponsationem et matrimonium inter nos antedictum ducem Johannem ex una et illustrem virginem Catherinam, serenissimae principis dominae Margaritae, reginae Sueciae, Daniae et Norvegiae neptem, et serenissimi principis, domini Erici, regis Sueciae, Daniae et Norvegiae sororem ex altera parte, uti et circa dotem, dotalitium et redotationem et circa omnia alia puncta, quae ad talem desponsationem et matrimonium spectant, et quidquid ad haec necessarium, utile et accommodatum esse possit, quaeque memorati nostri consilarii negotiati fuerint, tractarint atque concluderint, haec nos rex Rupertus et dux Johannes firmissime tenebimus et citra fraudem ac dolum adimplebimus juxta tenorem praesentium nostro sigillo munitarum, datarum in castro nostro Heidelbergae, anno Domini millesimo quadingentesimo sexto, regni vero nostri anno sexto.

Ad mandatum domini regis.

Job Vener.

686.

[1406.]

Instruktion för konung Rupert III:s och hertig Johans i nästföregående bref omnämnda fullmäktige sändebud till drottning Margareta och konung Erik.

Martene & Durand: Veterum Scriptorum etc. collectio, IV, sid. 135—136.

Primo reginae dicent dominum nostrum omnem suum amorem, amicitiam et quidquid boni possidet illi offerre ac desiderare, ut suae personae suisque terris et populis omnia prosperentur, quod ipsum non mediocri afficeret gaudio, idque lubenti animo audiret.

II. Item. Postmodum illi exponetis qualiter meus dominus rex augendam necessitudinem inter ipsum et suos ex una parte et ipsum suosque ex alia parte petat, et ea propter vos ad ipsam misit, ut suam neptem nomine illustrem virginem Catharinam, juvenis regis Daniae sororem, illustri duci Johanni suo filio in conjugem daret, quod si ipsi gratum foret et acceptum, vobis data est plena-

¹⁾ Sändebuden synas ej hafva blifvit afskickade före d. 22 April s. å., hvilken dag en rekommendationsskrivelse till dr. Margareta utfärdades. (Se längre fram).